


199

112







LXV. 7367.  
18

Q. D. B. V.  
De  
SERENISSIM. ELECTORUM  
SAXONIÆ  
FAVORE  
IN  
LITERAS & SCHOLAS,

MODERANTE  
L. ADAMO RECHENBERG, P.P.

Academiæ Lipsiensis jam Rectore  
Magnifico nec non Collegii Philoso-  
phici Pro-Cancellario

D. XIII. Dec. A. C. M DC LXXXIX.  
publicè differet

SEBASTIANUS Gottfried Starck /  
Freiberg. Misn.

---

L I P S I Æ,  
Literis WITTIGAVIANIS.



CIVITATIS TORGAVIENSIS  
 Florentissimæ  
 CONSULIBUS SYNDICO  
 &  
 CETERIS ORDINIS SENATORII  
 VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis  
 & Spectatissimis,*

Dominis Patronis ac Promo-  
 toribus

omni observantia colendis

chartas hæc Academicas

in

*cultus & observantia resseram*

offert & consecrat

Sebastianus Gottfried Starck.





B. C. D.



*Q*uod maxime consentaneum vi-  
 detur, ut ea quisque exequatur,  
 ad quæ aut à natura formatus,  
 aut educatione sedulaque insti-  
 tutione instructus est, atque præ-  
 paratus; id forte etiam in litera-  
 rum studiis observandum, nemo  
 inficiabitur: ut eorum præcipue  
 curam geramus, quibus ea ceu fulcimentis quibusdam  
 innisa ad summum fastigium pervenerint, atque adhuc  
 sustineantur. Itaque quum examini eruditorum pu-  
 blico esset quoddam profectuum Academicorum spe-  
 cin en edendum, non alia visa materia convenientior  
 illorum, qui in literas ac literatos Patronos se exhi-  
 buerunt, contemplatione. Quo ex genere cum nulla  
 non ætas nonnullos nobis ostendat, neque forte regio  
 ulla aut natio, maxime in Europa nostra (illa ab omni  
 evo, quantum recordamur, elegantioris doctrinae nutri-  
 ce) reperiatur, cuius cives perpetuo odio immeri-  
 tas Musas fuerint prosequuti: nos tamen, quorum  
 præcipue alimur beneficiis meritisque obstringimur,  
 ad **SERENISSIMOS SAXONIÆ**  
**PRINCIPES** nos conferimus, nec veterum con-  
 A 2 teunto-





temtores, nec peregrinorum incuriosi, si tempus commo-  
 dius locusque se offeret fortassis in posterum. Quod  
 argumentum cum agnoscamus facile, fateamurque tan-  
 tuli ingenii captum excedere; tamen ne ab instituto  
 recedamus, prohibet, quâ in **S E R E N I S S.**  
**S A X O N I Æ E L E C T O R E S**  
 ducimur cum bene animatis civibus omnibus, pietas,  
 ac de quo supra meminimus, literatorum officium, cui  
 si obtemperemus, atque hac vice **FAVOREM**  
**S E R E N I S S. E L E C T O R U M S A X O N I Æ**  
**I N L I T E R A S E T S C H O L A S,** pro  
 virili exponamus, rem facturi videmur, ut nobis non  
 inconvenientem, ita nec a voluntate Lectoris equi  
 alienam.



§. I.



Vanquam igitur adeo cum literis arma  
 atque bella non habere commercii quid-  
 quam quis putet; ut ~~barbare~~ potius ani-  
 mos atque illam Musarum quietem tubæ  
 atque litui, quam ad studia clangore suo provoca-  
 re videantur: tamen ita evenire comperimus, ut  
 fere Principes fortissimi quos Martis alumnos sæ-  
 pe appellant Poëtæ, artium se exhibeant, perbeni-  
 gnos nutritores. Sive enim agnoscunt disci ab  
 eruditis prudentiam, qua opus omnino habent &  
 ad animos militares coercendos, & ad consilia sua  
 persequenda, hostium eludenda; sive hoc agunt, ut  
 apud posteritatem etiam laudem ac gloriam asse-  
 quantur; utique latere, nisi historiæ penitus exper-  
 tem non potest, ex omni ævo huc adduci exem-  
 pla posse. Saxonibus etiam nostris ut belli famam,  
 nemo, nec ipsi hostes, denegant; ita quo in lite-  
 ras studio semper fuerint, nostra refert attendere.

§. II.

Nemini autem non est apertum, LITERAS  
 hic nobis cum lingvas & artes, tum scientias omnes  
 & disciplinas notare, quæ liberali homine maxi-  
 me dignæ sunt, ac priscis illis Romanis, Ciceroni  
 præcipue, sapientia atque doctrina, Græcis σοφία  
 & φιλοσοφία, nobis eruditio ac vulgo studia  
 vocantur; unde LITERATORUM nomen, quo  
 tum eos, qui in harum studio velut ad metam per-  
 venerunt sapientiæ, tum qui aliquo spatio confe-  
 cto, è longinquo eandem expectant; tum denique  
 qui carceribus adhuc quasi clausi cursum meditan-  
 tur





tur potius, quam tentant, denotari omnibus constat. Hos ex more non ita vetusto in *quatuor* classes, quas vulgo *Facultates* in Academiis vocant, describere solent; ita, ut ubi illæ cum jure conferendi honores Academicos vigeant, nomen *Academiæ* ex Græcia desumptum usurpetur. (a)

## §. III.

FAVORE autem PRINCIPUM IN LITERAS eam intelligimus gratiam, quam in erigendis Scholis, virisque dignis præficiendis, atque salariis, privilegiis, ut & discentium stipendiis constituendis, aut alio quovis modo, promovendis literis, demonstrarunt. Atque hanc SERENISSIMÆ DOMUI SAX. maxime ELECTORIBUS esse propriam, ediffere jam pluribus institui.

## §. IV.

Etenim PRINCIPES atque ELECTORES SAXONIÆ inde ab aliquot jam seculis favorem erga scholas singularem abunde testatos esse, testimoniis oppido luculentis ostendi potest. Nam sive *Academias*, sive *triviales* ab iis institutas *Scholas* contemplemur, Illustris gratiæ monumenta extant plurima.

## §. V.

Primum de ACADEMIIS, quæ cura Inclytorum Saxoniae Principum laudatorum surrexerunt, paucis differam. E quibus ut ætate, ita forte etiam fama ac gloria, quæ nunc viget, perpetuoque utinam vigeat, primum sibi locum Philurea nostra vendicat. Dedit istam nobis FRI-  
DERI-

---

(a) Conf. H. Conring. Antiq. Acad. Diff. III.



2367.

DERICUS, Landgravius Thuringiæ, & Marchio  
Misniæ: qui cum à puero in castris versatus, pluri-  
misque bellis maxime Hussiticis esset exercitatus,  
BELLICOSI nomen indeptus est, simul & Duca-  
tum Saxoniam hæcenus velut vagum extra stirpem  
Wittichindeam, propter virtutem in bello adproba-  
tam, ope Sigismundi Imperatoris, Electoratus tum  
vacantis quidem dignitate auctum recepit. (b)

§. VI.

Hic cum Fratre Wilhelmo II. divite alias dicto  
misertus Musarum, quas turbæ Bohemorum, atq;  
ereptorum privilegiorum injuria, contentiones et-  
iam ex dogmate Hussitico Germanis tum Papalis  
ignorantiæ tenebris immerfis invisio, Praga exce-  
dere coëgerant, benigne easdem excepit.

§. VII.

Causæ quæ moverint Fridericum, ut ita be-  
nignum se erga Musas exulantes gereret, allegan-  
tur potissimum duæ: odium in Hussitas, quibus  
cum armis infestus esset, ægre etiam facere volu-  
erit Academiæ novæ institutione; & in literas  
amor, quem contraxerit per amicitiam cum Si-  
gismundo Imperatore. (c) Quam in rem verosi-  
mile erit, contulisse nonnihil preces Vincentii  
Gruneri, quibus dedit Fridericus, ut vagæ tum  
Musæ propriam perpetuamque sedem habe-  
rent.

---

(b) Fabric. Sax. Illustr. p. 684. & Hørtled. f. I. de B. Sm. l. IV.  
c. 23. n. 51. 25. (c) Fridericus in Orat. seculari p. 21. De Sigismun-  
do Philippus in Chronico habet, fuisse eum animo heroi-  
co ac magno, delectatum etiam esse lectione historicorum,  
ac jussisse sibi ex Græco in Latinum transferri Arriani hi-



rent. (d) Prætereaque impulisse eum credimus spem, quam de fructu ex eâ re ad cives suos per-venturo, ut prudens Princeps, conceperat. Cum enim tum temporis perpauca essent per Germaniam Academiæ, (e) ut plerique omnes Pragam adire studiorum causa, necesse haberent, fore videbat, ut non solum fines egredi eam ob rem civibus suis non esset opus; sed exterorum etiam adventu plurimum ad eosdem emolumentum rediret. Nam insulsorum quorundam hominum opinio est, qui nihil plane commodi ex Academiis in civitatem redundare persuasum sibi habent, a qua Heros hic longe fuit alienissimus.

## §. IIX.

Itaque cum more illorum temporum à Pontifice R. Alexandro V. Privilegia impetrasset Academiæ novæ, isque horum Conservatorem constituisset Antistitem Martisburgensem, die II. Decemb. A. M.CCCC IX. illam constituit, primo Rectore Magnifico creato *M. Johanne Ottone de Munsterberg* SS. Theol. P.P. (f) cœtuque studiorum in quatuor nationes, Polonicam nempe, Bavari-

---

storiâ per P. Paulum Vergerium, antequam Bartholomæi Pacii translatio haberetur p. 620. (d) Fuit deinde Grunerus primus Theol. in hac Alma Professor, juxta Frid. O-rat. cit. p. 22. quem si quis Lipsia oriundum putat, falsus est, cum eum Zvicaviensem esse, manifestum fecerit *Fellerus* noster celeberrimus, in *Cygnis Quasimodogenitis* c. I. (e) celebriores tantum numerabantur in Germania, *Vien-nensis, Coloniensis, Heidelbergensis & Herbipolensis*, de quibus passim vid. Chronica. (f) Fundavit hic Collegium B. Mariae Virginis, & primus e 46. Magistris & Doctoribus Lipsi-



2369.  
Bavaricam, Misnensem, & Saxoniam distri-  
buto. (g)

§. IX.

Ubi obiter velut observari meretur, ante re-  
purgatam Evangelii doctrinam Pontificis R. jus ac  
imperium in Academias fuisse supremum, ut ab il-  
lo & jura petere singularia, & ad ipsum etiam pro-  
vocare quandoque necesse habuerint: sed abroga-  
to eo in majori parte Germaniæ, à Protestantibus,  
hoc jus conferendi Academiis privilegia, ac pote-  
statem decernendi honores Academicos, Cæsari  
vindictum fuit. (h)

B

§. X.

ensi Matriculæ insertus est. *Frid. l. c. p. 26.* Foundationem  
Academiæ prid. Cal. accidisse scribit *Peiferus in Lipsiâ L.*  
*III. §. 12. p. 303.* sed corrigitur à *Schneidero in Chron. Lips. L.*  
*VI. p. 274.* Erat enim ille dies proximus à Dominica I. Ad-  
ventus, in quam tum Calendæ Decemb. inciderant. Ipsa  
fundatio & confirmatio Pontificis habetur apud eundem  
*l. c. p. 275.* (g) *Frid. l. c. p. 28.* Atque adeo cum Praga  
nationes habuisset Bavaricam, Saxoniam, Polonicam & Bo-  
hemicam, quarum tres priores uno Germanicæ nomine no-  
tabantur, tum in locum Bohemicæ successit Misnensis v.  
*Frid. l. c. p. 16. f.* De institutione etiam hujus Academiæ,  
ut & Canonicatibus ei à Pontifice R. in usum Professorum  
donatis, videri potest *Dresserus in Isag. Hist. Mill. VI.*  
*P. II. p. 262.* qui tamen, quam ob causam, non liquet, ad  
An. 1411. Academiæ institutionem retulit. Quæ ad quam-  
libet nationem, regiones censeantur, discitur ex *Schneid.*  
*Chron. Lips. L. VI. p. 289. f.* (h) *Limn 7. P. VIII. 1.* Nequa-  
quam v. imminuta jam Pontificis autoritate, conciderunt  
privilegia ab illo data, siquidem & de his, & de aliis Maxi-  
miliani I. Caroli V. Ferdinandi I. & Maximiliani II. Imp-  
ostendi posse diplomata, *Schneiderus l. c. p. 252.* asserit.



Privilegia tamen Academiae Lipsiensis à Papa justis de causis jam indulta, Serenissimus Saxoniae Elector *Mauritius*, quo fuit in literas amore, clementissime confirmavit: (i) ut est exemptio à foro, quod seculare vocant. Cum enim omnium confessione, Academicarum Doctores & alumni, ordini, qui Clericorum inveterata consuetudine dicitur, accenseantur; (k) hos autem usu tum apud Pontificios, tum Protestantes recepto, haudquaquam jurisdictioni civili subjacere manifestum sit apparet, ipsos tantum coram sacris tribunalibus se sistere teneri. Id quod adeo certum est, ut qui discrimen inter regimen seculare & ecclesiasticum admittunt, non possint non simul Academias & Scholas sacris judiciis, quae Consistoria appellantur, subicere. (l) Nam utrumque regimen, ut diversi generis res (vel objecta) habet; ita & ex diverso velut fonte derivatur. *Seculare* Principes ac Ordines imperii ex jure territoriorum hæreditario, proprio atque perpetuo possident: sed *ecclesiasticum* ex concessione imperiali, vigore decreti vel pacis Passaviensis indepti sunt.

---

(i) In Rescripto quod, die III. Maj. A. M. D. XLV. ad Academiam Lipsiensem emanavit: *Diemeil aber Ursfangs bemeldte unsere Universität in Zeit der Stiftung und hernach stattlichen befreyet; So wollen und ordnen wir/daß dieselben Freyheiten in allen Puncten und Articuli sollen gehalten werden. Denn wir sind geneigt / sie darbey gnädig zu schützen/ und hand zu haben.* (k) D. Joh. Gisenii Disput. XIII. de vita Academ. §. 39. & D. Liebenthalium de Privilegiis Studiosorum n. 9. (l) conf. Conring. de Antiq. Acad. Diss. V.



sunt. Itaque par est, ut more in cultiori Europa jam recepto, utrumque regimen distincta sortiantur judicia, in quibus id exerceatur. quod D. Joh. Gisenius confirmat. (m)

§. XI.

Cæterum ut esset, ubi cives novi habitarent, & lectiones frequentarent publicas, tum ædes, (collegia vulgo dicunt) concessit, tum, unde honeste viverent, redditus pro temporum illorum conditione assignavit certos, quos memoratus supra Fridericus refert. (\*) Hanc abavi munificentiam ut imitaretur Dux Saxoniae Georgius, prout ipse a puero erat literis institutus, (\*\*) favore etiam singulari eas prosequabatur; Collegium Principum Minus, quod tum Pædagogium appellabatur, atque ad Magistros artium pertinebat, Jctis tunc dedit, eosque e templo Thomano, ubi hætenus Themidis suæ sacra administraverant, emigrare jussit An. 1515. (\*\*\*) Nec nihil majorum amplissimis monumentis addidit Mauritius Elector, cum Paulinum, quod Monachorum paulo ante fuerat domicilium, Academia, una cum pagis sylvisque, quæ eo spectabant, donavit, utque Theologorum præcipue usibus pateret, effecit. (n) Bibliothecam quoque hoc in loco constituit amplam satis & libris splendidam

B 2

didam

---

& Lans. Comment. de Acad. p. 49. (m) D. Joh. Gisenius Disp. II. de Vita Academ. §. 43. 44. 45. (\*) in Orat. cit. p. 27. Vid. & Schneid. l. c. (\*\*) Consulere hanc in rem Epistolam Sadoleti & Erasmi jubet, & Dresdæ asservari ejus scripta docet Cl. Wilkius in Nep. Sax. p. 664. & c. (\*\*\*) D. Frider. l. c. p. 35. & c. (n) id. p. 37. conf. Excell. Fell. Oratio in laudem Börneri habita p. 39.



didam, (o) atque duo præterea argenteorum milia contulit, quo facilius extrui, adque eos, quibus destinabantur, usus, præparari ædes Paulinæ possent. Denique etiam e granariis suis sexcentos frumenti medimnos contulit quotannis, quo victus esset facilior illis, quorum in literas studium egestas inhibebat. (p) Tanta erat hanc in Academiam Clementissimi Principis amor! (q)

§. XII.

Quod si in illustribus magnorum Principum factis recensendis, commemorari & illi solent, quorum ministerio & opera imprimis fuerunt usi; non prætereunda fortassis est illa Caspari Borneri integritas, illa in literas fides, illa diligentia; qui in hanc Academiam omne suum contulit studium: ac cum a Fratribus Dominicanis, sive Prædicatoribus vacuæ ædes Paulinæ relictae essent; quanquam tum fasces Academicos gereret, non veritus est, iter Dresdam (alii Grimmam volunt) ingredi, ut in Academiam amplissimum istud munus transferret.

Quod

---

(o) Præter Bibliothecas enim Cœnobiorum Lipsiensium, Thomani nempe ac Minoritani seu Franciscani, accessisse etiam Pegaviensem, Salzensem, Lantsbergensem vel Petersbergensem, Chemnicensem, Buchensem, Pirnensem, & Cellenensem, testis locuples hic est laudatus Feller. Orat. cit. p. 43. (p) V. Peiferus L. III. §. 39. p. 380. (q) Notanda est ejus vox, cum è Cummerstadio rescisceret, esse quosdam qui Paulinum Academiae inviderent, tum enim mensa palmâ percussâ: semel dixi, ait, semel scripsi, semel præstabo, & iterum percusso pectore, Stamburgo Syndico Academiae dixit: Ego, ita erga Universitatem Lipsiensem me geram, ut nemo non intelligere possit, illam valdè à me adamari.



Quod eum non fefellit, postquam Georgius Cumerstadius Consiliarius Electoris & Johannes Pfeilius Archiater ad eandem curam Borneri precibus permoti, id a benignissimo Principe impetrarunt. Idem postea præter labores summos, graves etiam iras, tum aliorum, tum Collegarum pertulit: qui cum fructum hujus rei haud satis prospicerent, vendendas ædes illas esse fremebant, quidam etiam in ipso fidem desiderabant. Quibus nihil ille aut parum motus in repurgando istas ~~et~~ ut Bibliotheca, cui primus ipse præfuit, non parum illi lucis, Paulinum, restitutionem, plurimum vero splendoris universa debeat Academia. (r)

§. XIII.

Cum vero Scholæ & Academiae officinæ bonarum literarum esse debeant, unde Ecclesiæ & reipublicæ viri aliquando utiles petantur; & hæ non nisi a viris solida eruditione instructis excitari queant; Serenissimi fundatores de singulis Facultatibus, quas vocare solent, prospexerunt; ita ut Theo-

B 3

logiam

Feller. l. c. p. 36. (r) Hujus Viri in Schola Thomana collegæ sibi operam laudat Fabricius (postea Rector Illustris Scholæ ad Albim) in Annal. Urbis Misnæ p. 84. & prolixè persequitur Peiferus in Lips. L. III. §. 38. p. 377. unde imprimis eum & puræ Religionis doctrinam, & Doctoris Theologiæ titulum in hac Academia suscepisse discimus. Ejus laudes quoque habet Albinus in Meisn. Land. Chronick. p. 349. f. & ante omnes, qui collegit omnia de Bornero, ex Manuscriptis, quæ ante eum nemo perreptavit, celeberrimus Fellerus, in Orat. in laudes Borneri An. 1685. dicta, & præfixa Catalogo Manuscriptorum Bibliothecæ



logiam quatuor docerent. (s) cum quibus incensum venit quintus Ebraicæ lingvæ Professor. (t) Juris autem docendi munus, penes duos initio, hinc quatuor, ac denique penes quinque esset: (u) Medicinæ Doctores demum a Friderico Placido & Wilhelmo Fratibus, duo introducti, quibus adjunxit tertium Georgius, quartum Mauritius, atque Augustus, cum hortum Medicum Academiae instruxisset, quintum Botanicum. (x) Philosophiam qui profiterentur, plures fuere, Augusti tempore duodecim, quos ipse ad octonarium numerum reduxit, suamque cuique Professionem addidit. (y) Utque ita artes probe docerentur, viros eruditissimos convocarunt. documento tantum sit Dux Georgius, qui Richardum Crocum, Britannum

---

Paulinæ: ad quam omnino harum rerum cupidis revertendum est. (s) duo V. duo N.T. explicabant, Schneid. l.c. p. 295. (t) de eo vid. Schneid. p. 296. (u) Primus Ordinarius materiam Judiciorum maxime e jure Canonico, alter materiam Contractuum, tertius ultimarum voluntatum, quartus eos Juris titulos, qui ab illis commode explicari, ut ad ipsorum Professionem non pertinentes, non poterant, ut & Jus Feudale, & quintus Institutiones proponeret. V. Id. p. 297. (x) Friderici & Wilhelmi munus est Professio Therapeuticæ & Pathologiæ, sicuti a Georgio Physiologicam accepit (qua ratione, nempe ex pecunia D. Conradi Tockleri, Medici, de qua lis erat inter Senatum & Academiam, docet Schneid. & a Mauritio Chirurgicam cum Anatomica, de quibus plura habet Schneid. l.c. p. 290. f. (y) per orbem enim ibant tum artium Professiones, ita uti qui hoc semestri spatio Logicam docuerat, altero fortasse Ethicam aut aliam Philosophiæ partem explicaret; at cum An. 1551. Augustus Elector firmas eas esse jussisset, duodecim fuerunt, nempe Or-



num (z) ac mox Petrum Mosellanum, virum doctissimum, e Trevis vocavit: qui ut erat elegantiorum literarum cultor, magno cum applausu Epistolas Paulinas Græce interpretatus est. quod ipse in Epistola ad Mutianum Canonicum Gothanum An. 1520. professus est. Quem fato præpopero ereptum, Academia æternum luxisset, nisi in ejus locum postea incomparabilis *Joachimus Camerarius* fuisset surrogatus. Hosque duumviros Lipsiæ humaniores literas excitasse, notissimum est. Camerarius quidem pro amicitia, quam cum Melanchthone sanctissime semper coluit, ejus hac in parte consilio & opera usus est diligenter. Nam ex MScto quodam Casp. Borneri constat, Philippum, utilem reformandæ huic Academiæ operam navasse, cum & de doctrina pro captu seculi ordinanda; & de redditibus, unde tum professores, tum eorum auditores pauperes alerentur, consilium suppeditaret. Ubi imprimis svadet, ut bona, quæ mona-

---

gani Aristotelici, utriusque Lingvæ, Ethicæ, Mathematicæ, Fabii Quintiliani, Virgilio & Terentii, Dialectices, Rhetorices, Libelli de Anima, Elementorum Mathematicum, Grammatices Græcæ & Grammatices Latinæ Professores. At idem cum Quintilianum Rhetorico, & Physico librum de Anima attribuisset, decem, cum deinde utramque Grammaticam conjunxisset, novem, ac denique hac Professione penitus abrogata, tantum octo remanserunt. V. Schneid. p. 302. f. (z) Hic primus in hac Academia Lingvæ Græcæ Professor, a Camerario tamen suo discipulo longe superatus, ad quem adeo & Mosellanum Græciæ totiusque rei literariæ gloria pertinet. v. Fellerus Orat. in laudem Borneri hab. p. 21. f. ubi & aliorum huc adductorum facit mentionem.



monasteriorum usibus sub Papatu destinata fuerant, rursus ad iuvandas Ecclesias & Scholas transferantur. confer *Recess. Imp. Spirens. de anno 1544. §. 88.* Quod Principes jam laudatos observasse, B. Hoepfnerus, Theologus cordatissimus, in *Evangelica Saxonia sect. 1. part. alt. cap. 2. n. 5. 6.* testatur.

§. XIV.

His ita expositis revocat nos Witteberga, clara atqve celebrata eo maxime, quod pene eisdem, & ipsa & pura Religio natales fortita sit: siquidem utriqve ineunte seculo superiori honos suus constitit: ut cum Schola ipsa anno secundo esset aperta, quindecim annis post, nova inde lux, de qua divino veluti afflatus spiritu vaticinatus fuerat D. Joh. Fleccus, eadem in Urbe exoriretur. Quod idem & Martinus Pollichius, cum de loco, ubi novam Academiam conderet, Princeps deliberaret, prædixerat. (aa)

§. XV.

(aa) Hic cum inauguraturus Academiam, vota fundere, sapientia & vite flumina in universum orbem ex hoc candido monte redundatura dixerat Fleccus, V. Laur. Rhodomannus in Orat. secul. quæ extat in Actis Jubilæi Witteb. Anno 1600. de Martino Pollichio vid. Sennert. in Athenis Witteb. I. 2. p. 15. & Fleccum quidem ad etymon Urbis respexisse putat Rhodomannus l. c. & Chytræus in Chron. Sax. p. 116. ac si sit idem, quam *Weißberg* (cui rei nomina illa *Leuco-rea*, *Albitorium* & *Albimontium* & *Albiburgum* respondere quodammodo videntur) quam communem quamvis sententiam corrigere conatur Sennertus l. c. p. 1. 2. quia præter colliculum nullus in eo tractu mons conspiciatur: sed ita dictam urbem esse a conditore Wittichindo, quasi *Witteburgum* aut *Wittekindiburgū*, h. e. *Wittekindi urbem*. Sed forte & hoc non satis certum, siquidem ipse Sennertus tantū





## §. XV.

Svadebat quippe *Friderico* illi *Sapienti*, ut *Academiam* novam extrueret, tum ipsius in literas tam eximius amor, (*bb*) tum quod in Comitibus *Wormatiensibus* A. 1495. ita statuente Imperatore *Maximiliano I.* suffragantibus Imperii Ordinibus, ut quilibet Elector in sua ditione bene constitutam *Academiam* haberet, fuerat mandatum. Impera-

ait: creditur condidisse urbem, & p. 27. f. in schedula fastigio turris inclusa ista extant verba: *An a Wittichindo condita sit, nescimus.* At cum *Burgum* urbs sit sive castrum lingua antiqua Germanica, quod ipse etiam *Sennertus* agnoscit, & *Slavo-Sorabi* & *Germano-Saxones* ea loca quondam habuerint, ad alterutros autem auspicia hujus urbis referenda sint, una cum nomine, videtur locum habere *Witteburgum* seu *Weisburgum*, de cuius nominis origine plura, sed longius petita, habet *Ludovicus Person.* in Oratione habita in *Promot. Doctorali* Anno 1598. Vel etiam locum habet *Witteberga*, si consideremus vocem *Berg* / quæ ita nova utique non est, & metallifossoribus (apud quos multa antiquæ lingvæ Germanicæ vestigia) notat terram, & terram fossilem: ut adeo sit *Witteberga* quasi *Weisberde*. (*bb*) De quo testis est *Fabricius*, munificum eum in literas fuisse fautorem, librosque Philosophicos, imprimis historicos, quos conscribi curavit, studiose legisse v. *Orig. ejus Saxon.* L. IIX. p. 2. Idem etiam cum jam fasces gereret, *Italiam*, *Phœniciam* & *Syriam*, ut quæ ex usu sibi essent, disceret, adiit. Id l. cap. c. 3. Unde cum rediret, picturas, tabulas, inscriptionesque earum, aliaque monumenta quam plurima, quæ ad *Historiam* pertinebant, secum attulit, multa etiam morborum remedia, quorum rationem præter *Astronomiam* acceperat a comite suo per illas regiones *Mœllerstadio*, v. *Fabric.* l. c. p. 12. Testaturque *Chytræus*



perator enim hic, ut virtutibus principe heroe dignis maxime eluxit; ita rem litterariam vitiis per omne genus studiorum corruptam instaurari voluit. Hancque ob causam in Comitibus jam nominatis cohortatus est Septemviros, suis quisque terris Academiam conderent. *Hujus ductu, inquit, Cuspinianus in vita ejus, literæ Ebraicæ, Græcæ, Latine, elegantiores quoque discipline quasi in Germania ortæ primum sunt ac paulatim succreverunt, ut tandem vi ac impetu quodam (ducibus Reuchlino, Erasmo, Mosellano, Melanchtone, & Camera-rio,) eruperint.* Hujus ergo hortatu erecta est laudata jam Academia a Friderico III. Electore. Qua in re adjutore ac consiliario usus est fratre Ernesto Magdeburgensi antistite, quem Raimundus Payrandus Cardinalis & Gurzensis in Carinthia Episcopus, Alexandri VI. Pontificis R. legatus, eam ad rem stimulabat. (cc)

## §. XVI.

Itaque nullis sumptibus pepercit, atque ut potestatem haberet erigendi Academiam, bis mille scutatis a Pontifice R. Julio II. prout tum erant tempora, impetravit. (dd) Quo facta die XIX. Octobr.

---

inprimis Senecæ Tragædiis & Epistolis, ut & Horatio fuisse delectatum, & ex autoribus excerpta morum præcepta parietibus inscripsisse, nonnunquam etiam sermoni quem cum eruditis habebat, inspersisse: quorum plura Principem decentia affert in Chronico Sax. p. 52. f. (cc) Chytr. l. c. p. 145. f. Fabric. Orig. VIII p. 12. & Sennert. Athen. Witteb. L. I, c. 2. p. 14. ff. (dd) v. Orat. supra cit. Rhodom.



2379.

Octobr. in templo arcis, (quod ejusdem Electoris opus ac monumentum est,) novæ Academiae capta auspicia, (ee) legesque tulit Elector ad modum Tubingensis Academiae concinnatas; ita, ut earum & privilegiorum inspector & Cancellarius esset Gosvinus de Orsoy, præceptor domus Liechtenbergensis. (ff) Omnium autem primus Rector Magnificus renunciatus est *Martinus Pollichius Moellerstadius*: qui cum magna eruditionis fama floureret, summosque trium facultatum honores esset consecutus, *Lux mundi* fuit appellatus. (gg)

§. XVII.

Veram autem mundi lucem tenebris ante obtectam *Martinus Lutherus* ab Electore Friderico A. 1508. Wittebergam vocatus, universi orbis Christiani bono reduxit. cujus historiam *Vir summus & illustris Dn. Seckendorffius*, in *Comment. de Lu-*

C 2

*thera-*

---

conf. & Bulla Pontificia, quam excerpfit Sennertus l. c. p. 23. Utrum a. consensus Papæ in erigenda Academia requiratur, jam supra definivimus; Inter nostrates certum est paucos affirmativam tueri. unde Lansius ridet cum Bau- dio Professores Codomensis, qui Leida promotos, legitime promotos dubitabant v. ejus Comment de Academ. p. 7. f. (ee) Qua id solennitate factum, exponit uberius Sennertus l. c. p. 37. f. (ff) Rhodomann. in Orat. cit. & Chytr. Chron. Sax. p. 146. in nationes cives Academicos distribuere, non fuisse visum commodum, idem animadvertit: Privilegia Academiae videre licet apud Sennert. l. c. p. 21. ff. (gg) v. Rhodomann. l. c. Notandum etiam de Pollichio est, fuisse eum Friderico pene a puero familiarissimum, quem etiam in Rhodo insula avocatum e balneis, quo se a vino Cre- tensi contulerat, a mortis periculo liberavit, Christophoro



*theranisimo persequitur* (*hb*) illum ex Academia Tubingensi huc evocatus! An. 1518. secutus est, *communis Germaniæ præceptor*, Philippus Melancthon, Lutheri in hoc opere Reformationis parastata fidelis. (*ii*) Hujus in rem literariam & Ecclesiam merita, laudatus supra *Camerarius*, condito *de Vita Melancthonis* commentario eruditissimo, illustravit. Ex quo simul de laudabili memoratorum tum Electorum studio promovendi bonas literas constare potest, ut nil adeo a vero alienum dixerim, si ex Saxonum Academiis prodiisse affirmem viros, qui Ecclesiæ & Reipublicæ longe latius profuerint plurimum. Inspiciat quis catalogos, (Matriculas vulgo appellant,) Academicos, quot nomina illustrium virorum de regnis & Ecclesiis præclare meritorum leget consignata?

## §. XIIX.

Illi autem tam solenni Academiae institutioni, festivitatis quoque aliquid accessit ab epulis, quas publicas Fridericus tum præbuit, laudabili magnificentia, & quam altero post seculo Christianus II. Elector imitandam sibi existimaret. (*kk*)

## §. XIX.

Omnium deinde Facultatum Professores publicos dedit, quorum & numerum & salaria dehinc Johannes & Johannes Fridericus & Augustus auxerunt (*ll*) munificentia postreis prædicanda.

## §. XX.

---

Bavaro ea de causa, paulo post extincto. v. Fabric. Annal. rum L. IIX. p. 12. (*hb*) p. 26. 27. (*ii*) v. L. III. Epistola Eobani Hessi per Camerarium editarum. (*kk*) Vid. Program. Facultat. Philos. quod habet in Actis Jubilæi Witteb. (*ll*) Ita ut in Theologia ex quatuor, qui constituti erant,



Ædificia, aliaque quod attinet munera, accepit a Friderico & Fratre Johanne Constante Facultas Juridica, partem aulae, ubi Lectiones suas ac Disputationes haberent, cum antea fere privatis ædibus essent usi. (mm) A Johanne vero Friderico Sacellum arci contiguum habet Academia, una cum illis, quæ ad Capitulum illius templi pertinebant. (nn) Qui idem fisci etiam foundationis autor est, quam in rem pagos nonnullos donavit, ac potestati Professorum penitus subjecit: (oo) quodque in laudibus ejus præcipue memorandum est, ab illo Academiae hujus Bibliotheca & instituta & locupletata ann. 1535. (pp) Collegium denique Augusti ille, cujus nomen præfert, laudatissimus Elector, magnis sumptibus extruxit (qq)

C 3

quod

bini S. scripturas interpretarentur, bini locos Theol. & controversias tractarent. In jure Ordinarius, Jus Canonicum sive Decretalia, alter Codicem & Criminalia, tertius Pandecta, sive Digestum vetus, quartus Digestum novum sive infortiatum, quintus Institutiones prælegeret. Medicorum Senior Præticam doceret, alter Pathologiam, tertius Anatomem & Botanicam. In Philosophia decem constituti sunt Professores; nimirum Oratoriæ, Poëseos, Lingvæ Gr. Ebrææ & Orientalium, Logices & Metaphysices, Physicæ, Mathematicum inferiorum, Mathematicum superiorum, Philosophiæ Præticæ & denique Historiarum. vid. Senn. Athen. Witteb. p. 42. De munificentia in scholas & literas Electoris Joh. Friderici, Hortlederus de Bell. Smalcald. tom. I. l. V. c. 22. f. 1367. ff. refert. (mm) vid. Zangeri Jcti Orat. Secul. (nn) vid. Sennert. l. c. p. 17. (oo) vid. itid. Zangeri Orat. & Sennert. loc. cit. pag. 55. (pp) vid. Zangerus l. c. ut & Beierus in Dedicat. ad Syllab. Proff. Jenens. p. 22. (qq) vid. Zangeri Oratio Sec. & Senn. Athen. Witteb. p. 18. Domum illam ab hæredib. Lutheri, quibus donaverat a monachis Augustianis relictam, Johannes Elector, 3700. florenis redemit, & restitutioni adhuc impendit ultra 3000. ita ut com-



quod percommode affectum forte relictum a parente Christianus Academiae deinde donavit. (rr) Quibus rebus adnumeranda est illa secularis festivitas, qua Christianus II. Academiam hanc voluit esse maectam. (ff)

## §. XXI.

Seorsim etiam hoc loco memoranda *Mauritii & Augusti Fratrum* in utramque Academiam merita. Illum siquidem earum novum appellemus conditorem, haud abs re facturi videmur: quoniam cum accepisset easdem bello dissipatas, reduxit, & dilapsos Professores ordini suo atque honori restituit. (tt)

---

mode ibi omnia aedificarentur, nosodochia quoque fierent, quibus aegri ex studiosis uterentur. Senn. l. c. p. 35. f. conf. Fabric. L. IX. p. 131. mensae idem publicae 1000. modios frumenti in annos singulos donavit. vid. Fabric. l. c. p. 131. (rr) v. Orat. sec. Rhodomanni. (ff) v. Programma Philosop. Facult. supra cit. Hic etiam lubuit apparere inscriptionem, quae Serenissimorum Saxonum, usque ad Johannem Georgium I. imaginibus in Collegio Augusti Wittebergensi apposita legitur talis: ACADEMIAM WITTEBERGENSEM

FRIDERICUS III. DEI BENIGN. DUX SAX. &c.  
INCHOAVIT.

JOHANNES DEI BENIGN. DUX SAX. &c.  
CONSERVAVIT.

JOHANNES FRIDERICUS D.B. DUX SAX. &c.  
FUNDAVIT.

MAURITIUS D.B. DUX SAX. &c.  
BELLO DISSIPATAM INSTAURAVIT.

AUGUSTUS D.B. DUX SAX. &c.  
EXORNAVIT AMPLIFICAVIT ET  
CONSERVAVIT.

Vid. Senn. l. c. p. 20. f.



(tt) Hic in utraque Academia stipendia constituit, quibus tenuiores fortunæ studiosi in addiscendis artibus occupati juvarentur. (uu) Felix nempe superioræ ævum, quod non tantum hominum doctissimorum studiis effloruit; sed & in medio armorum strepitu & publica velut strage tantos invenit literarum & scholarum patronos, qui a majoribus suis transmissam juvandi literarum studia defenderunt laudem.

### § XXII.

In Jenensem denique Academiam collata beneficia paucis ut describamus, *Johannes* quidem *Fridericus* I. Elector & hic statuerat aperire Academiam, cum novum ibi Anno 1548. Gymnasium erigeret, (xx) Convictoriumque publicum institueret (yy) ac Bibliothecam Wittebergensem una cum Manuscr. omnibus huc transferret; Sigillum etiam Academiae donaret. (zz) Sed illud demum filii ejus *Johannes Fridericus* II. *Johannes Guilielmus* & *Johannes Fridericus* III. executi sunt. (aaa) qui nec ipsi perfuncto-

---

(tt) v. Rhodom. Orat. cit. & Fabric. Sax. Illustr. L. IX. p. 100. & Chytr. p. 483. conf. Adrianus Beyerus in Syllabo Proff. Jen. p. 171. & 174. ubi & has & alias Academiarum missiones memorat. (uu) numerum amplum satis eorum, qui fruerentur stipendiis, constituit; nempe in utraque Academia 150. cum ante perpauci fuissent, hisque singulis dedit ad minimum 30. florenos quotannis: Magistris 40. Juris studiosis (qui tamen cum Medicis in hoc numero non continentur:) etiam 50. aut 60. Hisque leges, ad quas vitam componerent, præscripsit. Fabric. l. c. L. IX. p. 131. & Elect. Augusti Lands. Ordnung p. 201. ff. (xx) v. Adr. Beyerus in Dedic. ad Syllab. p. 19. 43. (yy) Id. p. 22. (zz) v. de his rebus id. l. c. primus Bibliothecarius hic fuit M. Georg. Rosarius, uti Wittebergæ M. Georg. Spalatinus. Id. (aaa) Id. 18. 23. 43. conf. Fabric. Sax. Illustr.



functorie sibi rem tantam agendam putarunt: ita, ut maxima ordinum omnium celebritate, die II. Febr. A. 1558. introduceretur, (*bbb*) ipseque Johannes Fredericus Patris, suum, Fratrumque Serenis. in literas amorem publice latina oratione testatus, (*ccc*) privilegiis tum iis, quæ Carolus V. & Ferdinandus I. Impp. dederant, tum iis, quæ indulgebat ipse, afficeret; (*ddd*) Rectoremque primum daret D. Johannem Schröterum Med. P.P. (*eee*) Quibus in rebus multum tum valebant consilia Nicolai de Ammsdorff Episcopi Naumburgensis, tumque exulis. (*fff*)

§. XXIII.

Neque hic defuerunt viri, quorum eruditione atque industriæ nova Salanæ fortuna inniteretur: quippe eam in rem jam parens Celsissimus advocaverat ex Academia Erffordienfi Victorinum Strigelium, e Tubingensi Erhardum Schnepfium, Theologos celebratissimos, (*ggg*) addideratque Poëtam eo tempore principem, Johannem Stigelium. In Jure primus docendi munus suscepit Basilius Mennerus, uti

---

L. VIII. p. 53. & Chytr. Chron. Sax. p. 557. (*bbb*) quia enim solennitate & frequentia auspicia fuerint capta p. 24. s. explicat Beyerus & p. 47. Catalogum textit Principum, Comitum atque Baronum qui adfuerint. (*ccc*) Beyer. l. c. p. 26. Fuit enim hic Princeps in literis admodum exercitatus, ita ut peradolescens, utpote non amplius quam 12. annos natus, in arce Torgaviensi coram Celsiss. Parente orationem haberet nitidam, eamque actione commoda condecoraret; biennioque post altioribus in Academia Wittebergensi disciplinis imbutus, in confessu Illustriss. Principum aliorumque de officio boni Principis verba faceret, quæ adeo, de eo commemorat, eamque in rem verba Lutheri adducit Fabric. Orig. Sax. II. X. p. 50. s. (*ddd*) Beyerus p. 27. 30. (*eee*) p. 52. (*fff*) p. 20. 46. (*ggg*)



2385  
uti in medicina, qui Vienna advenerat, Johannes Schröderus, cujus supra mentio injecta. Horumque adeo auspiciis, ductu Illustri Principum ad eam, qua claruit postea, famam Academia pervenit.

§. XXIV.

Atque hoc in Academias & literarum studia, Serenissimorum Principum favore tam manifesto, nemo forte & illam *scholarum*, quas vocant, *trivialium* curam poterit inficiari, qui perpenderit saltem, illam tam salubrem scholarum institutionem, ac leges ab *Optimo Principe Augusto* latas. (*hbb*)

§. XXV.

Hic, ut aliarum mentionem non faciamus, illas tantum, quæ *provinciales* audiunt & *Illustres*, lubet videre. Quarum constitutionis pene propriam sibi laudem vendicat *Mauritius*. Purgavit enim a sordibus tria illa Monasteria, & quæ causa fuerant olim constituendis ejusmodi collegiis, artium, disciplinarumque sedes & tyrocinia effecit. (*iii*) Ac *Misenensis* quidem Scholæ D. Afræ sacræ antea & monachis Canonicis irregularibus dicatæ, V. Non. Jul. A. 1443 capta auspicia: *Portensis* vero Cal. Nov. (habuerant eam Cistercienses:) *Grimmanæ* denique (Prædicantium modo Ordinis D. Augustini Cœnobii) XVIII. Cal. Octob. (*kkk*) Quam in rem luculentum apud Sleidanum extat testimonium infra ad-

D

scriben-

Laudantur triumviri hi Strigelius, Schnepfius & Stigelius a Chytr. Chron. Sax. p. 557. quæquam Strigelius male rem gesserit postea, aliquando Synergista, hinc & Zwinglianus, perpetuas in Schnepfium inimicitias exercuit, cui & sæpe culcitra in itinere, additis contumeliis, subtraxit. (*hbb*) vid. *die Lands-Ordnung* edit. 1618. p. 118. seqq. (*iii*) conf. Chron. Portense M. Justini Pertuchii P. II. p. 6.7. (*kkk*) conf. Fabric.



scribendum. (III) In his deinde, quibus ad honestatem morum ducerentur alumni, leges per Camerarium præscripsit (mmm)

§. XXVI.

Nec alienus ab his Fratris consiliis, Augustus (mm) ita amplificavit, auxitque numerum alumnorum, ut cum ad cives modo ante illud beneficium pertinuisset, exteris postea eo etiam perfrui liceret; (ooo) Cumque splendidis ædificiis Portam augetet, nec Misenæ ac Grimmæ eum cepit oblivio, quibus decem ex stipendiis viginti Portam unam spectanti-

---

Sax. Illustr. L. IX. p. 98. f. & Pertuch. Chron. Portense P. I p. 74. (III) ita enim Comment. de statu Relig. & Reipubl. L. XV. Mauritium heröem fortissimum laudat, quod partem bonorum Ecclesiasticorum scholis constituendis destinavit. Quoniam, inquit, Juventus est veluti seminarium tam Ecclesiæ, quam Reipubl. tres literarum ludos instituit Misenæ, Merseburgi (notandum enim, eam deinde Grimmam delatam esse) Portæ. Singulisque locis certum numerum attribuit adolescentum. His omnibus victum præbet & vestitum, magistris etiam annua stipendia solvit, & in hunc usum applicat eorum collegiorum proventus, in quibus aliquando monachi vixerunt, & id genus alii. Studiosis concedit sex annos ut ibi doceantur) quæ tamen aliqua ex parte jam novimus immutata. De Portensi ex Chronico Pertuchii constat, constituisse eundem Mauritium, ut hujus alumni 20. in Academiis Lipsiæ aut Wittebergæ adhuc stipendiis sustentarentur. vid. Chron. illud P. I. p. 75. (mmm) Pertuchius l. c. p. 83. (mm) Fuit enim & hic eximius literis fautor, & in scholæ Misenenensis constitutione Mauritio adjungitur, cujus nempe foribus illud inscriptum est distichon:

Mauritii pietas, Augustique inclyta virtus

Hanc Christo & studiis constituere Scholam.

(ooo) Pertuch. in Chron. Port. P. I. p. 80. Porta aluerat ante tantum 100. Misena 60. Verum quantum utraque excrevit? Illa



Etantibus contulit. (ppp) *Christianus* autem Elector, cum vitæ studendum, non tantum scholæ putaret, atqve ita mature assuefaciendam juventutem, ut actiones, quibus vita humana indiget, dijudicare posset, atqve decore exprimere; utriqve quidem lingvæ vacare sedulo alumnos voluit; sed & bis per annum in theatro exerceri. (qqq) Idem in Scholæ Grimmensis atqve Misenenfis usus convertit eam pecuniam, quam in eleemosynas pauperum, ex redditibus Portæ constituerat *Mauritius*, ipse autem multorum malorum causam eam cognoverat. (rrr) Hoc extincto, interea dum adolesceret *Christianus II. Fredericus Wilhelmus* Dux Saxonæ tutor Principum juniorum, de disputationibus instituendis ac lectionibus justo tempore absolvendis cavuit. (fff) De ipso verò *Christiano* Electore, præterquam quod abunde eum literas amasse, documento est omnium per Saxoniam instituta Academiarum scholarumqve visitatio, compendium quoque theologicum adornatum, atqve scholæ Portensi commendatum memorat *Pertuchius*. (ttt) Qui hunc sequuntur duorum Electorum Johan-

D 2

nis

---

enim jam 100. hæc ferme 110. habet. (ppp) v. de his omnibus cit. Chron. P. I. p. 81. sq. ubi tale quoque palatium in Porta extruxisse perhibetur, in quo ipse pernoctaret. (qqq) vid. *Pertuch.* Chron. Port. P. I. p. 83. (rrr) Sæpe enim oppressi in egressu, & cum etiam validi mendici multo ante tempore congregarentur ibi, graves erant vicinis: Reduxit tamen postliminio hanc eleemosynarum consuetudinem *Christianus II.* atqve ter in anno panem pannumque in vicinos pagos & nosocomia mitti voluit. v. Chron. Port. P. I. p. 84. 88. (fff) factum id per *Nic. Reusnerum*. v. Chron. cit. p. 85. voluit autem & cursum Logicum & singulorum autorum semestri spatium plerumque lectionem absolvi, atqve hinc examina institui publica. (ttt) vid. Chron. p. 87.



nis Georgii I. & II. etsi merita ac virtutes eorum dignum adhuc præconem laudum suarum expectent, tanta tamen sunt munera, ut latere non possint. Tot occupatus bellis, tot exercitatus periculis, tot distractis curis JOHANNES GEORGIUS I. ne quid tamen detrimenti hæ caperent, providit sedulo. JOHANNES GEORGIUS II. Misnensem præcipue splendidis ædificiis bibliothecaque denuo instructa auxit: & quæ a JOHANNES GEORGIO III. acceperit, non ita multo ante innovata atque exornata vicina Grimma, non loquitur, sed clamat.

§. XXVII.

Hoc adeo Saxonæ præsidium, hunc suorum amorem atque delictum, hostium fulmen atque terrorem, hunc Imperii Germanici Camillum, libertatisque vetustæ Statorem, hunc Musarum Nutritium Clementissimum, ut servet quàm diutissime incolumem Deus Opt. Max. rogamus, & quando illum fata sua, sed fera vovemus, à nobis reposcent, illos semper Principes ex Sereniss. Saxonum gente donet, quos sperandos superiorum temporum tam felix monet memoria.

SOLI DEO GLORIA!





99 A 69 12

ULB Halle 3  
002 721 678



Sb.

VD 17

Recht o. Kan.









LXV. 2367.  
19

Q. D. B. V.  
De

SERENISSIM. ELECTORUM  
SAXONIÆ  
FAVORE  
IN  
LITERAS & SCHOLAS,

MODERANTE  
L. ADAMO RECHENBERG, P.P.  
Academiæ Lipsiensis jam Rectore  
Magnifico nec non Collegii Philoso-  
phici Pro-Cancellario

D. XIX. Dec. A. C. M DC LXXXIX.  
publicè differet

SEBASTIANUS Gottfried Starck /  
Freiberg. Misn.

L I P S I Æ,  
Literis WITTIGAVIANIS.

